



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Definitio liberi arbitrii secundum Philosophos. A. B. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

*Delibero  
arbitrio se-  
cundum se  
sive in ge-  
nerali.  
Definitio  
liberi arbi-  
trii.*

**I**am vero ad propositum redeamus, scilicet, ad liberi arbitrii tractatū: quod Philosophi defini- entes dixerunt, liberum de voluntate iudicium, quia potestas ipsa & habilitas voluntatis & ratio- nis, quam supra diximus esse liberum arbitrium, libera est ad vtrumlibet: quia libere potest moueri ad hoc, vel ad illud. Liberum ergo dicitur arbitrium, quantum ad voluntariè moueri, & spontaneo appetitu ferri potest ad ea quæ bona vel mala iudicat, vel iudicare valet.

*Quod liberum arbitrium non pertinet nisi ad futu-  
rum nec ad omne futurum.*

Hoc autem sciendum est, quod liberum arbitrium ad præsens vel ad præteritum non refertur, sed ad futura contingentia. Quod enim in præ- senti est, determinatum est, nec in potestate nostra est, vt tunc sit vel non sit quando est. poteste- nim non esse, vel aliud esse postea: sed non potest non esse dum est, vel aliud esse dum est, id est, quo est: sed nō in futuro an hoc sit, vel illud, ad pote- statem liberi arbitrii spectat. Nec tamen omnia futura sub potestate liberi arbitrii veniunt, sed ea tantum quæ per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri. Si quis enim tale quid velit ac dispo- nat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione æquè fieret, in hoc ipse liberum non habet arbitrium.

*Quod supraposita descriptio liberi arbitrii non conuenit Deo,  
nec his qui glorificati sunt.*

Et quidem secundum prædictam assignatio- nē, in eis tantū videtur esse liberū arbitrium, qui volūtatē mutare, & in cōtraria possunt desleete- re: in quorū videlicet potestate est, eligere bonum vel malum, & vtrumlibet secundum electionē fa- cere

eere vel dimittere. Secundum quod nec in Deo, nec in his omnibus, qui tanta beatitudinis gratia sunt roborati, ut iam peccare nequeant, liberum arbitrium esse nequit. Sed quod Deus liberum arbitrium habeat August. docet, ita inquit: Certe Deus ipse nunquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negand<sup>9</sup> est? Amb. quoque ait, Paulus dicit, quia omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult, i. pro liberæ voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio.

*Qualiter in Deo accipitur liberum arbitrium.* D

Sed aliter accipitur liberum arbitrium in creatore, quam in creaturis. Dei etenim liberum arbitrium, dicitur eius sapientissima & omnipotens voluntas, quæ non necessitate, sed libera voluntate omnia facit prout vult. Ideoque Hier. attendens non ita esse liberum arbitrium in Deo, sicut est in creaturis, ab ipso videtur liberum arbitrium excludere, in Hom. quadam de fil. prod. dicens: Solus Deus est in quem peccatum non cadit, nec cadere potest. Cætera, cum sint liberi arbitrii, in vtramque partem flecti possunt. Dū ait, cætera, indicat liberum arbitrium sicut est in cæteris. non ita esse in Deo.

*Quod angeli & sancti qui tam beati sunt, habent liberum arbitrium.* E

Angeli vero & sancti, qui iam cum Domino feliciter viuunt, atque ita gratia beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec velint nec possint, libero arbitrio non carent, vnde Aug. ait. Sicut prima immortalis fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, ita primum liberum arbitrium, posse non peccare, nouissimum, non posse peccare. Postea in ench. Sic oportebat prius hominem fieri, ut bene velle posset, & male. Postea vero sic erit, ut male velle non possit: nec ideo carebit libero arbitrio. Multo quippe liberi<sup>9</sup> erat ar-

Cc 4 arbitrium

Aug. ca. 30.  
in medio  
lib. 22. de ci-  
uitat. Dei

Ambr. in  
medio ca. 3.  
li. 2. de fide  
tom. 2.

Hieron. ad  
Dam. papam  
circa finem,  
Tom. 3.  
Luca 15.

Aug. lib. 22.  
de ciuit. ca.  
30. in me-  
dio.

August. in  
prin. sp. ca.  
105. in Enc.  
Tom. 1.